Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 949

Quelle:
Copyright:

nunc ab his Libri XI. c. 17. verbis: *quid aliud quam profunda de tenebris reuelantur*, quae in edit. *Mauriana Pariſ.* 1705. T. I. *col.* 376. extant, usque ad verba Libri XVI. c. 42. *Ille enim in flagello poſitus a ſalute corporis* — — edit. *cit. col.* 520. Initia Librorum charactere grandi conſpicua ſunt; ſcriptura tamen verſus finem aliquantum variat. Lectio plerumque cum editis conſpirat; nihilominus eſt, ubi diſcrepet. Ita initio L. XIII. edita: *dum hæreticos vel quoslibet reprobos, quos corrigere non valet, tolerat* &c. noſter: *cum hereticorum uel quorumlibet reproborum peruerſitatem corrigere non ualens tolerat* &c. L. XIV. ſub finem edita: *veram certitudinem præſumpſit*, noſter *vera certitudine.* Edita: *hoc timendum ſciret*, noſter, *timendo ſciret;* melius puto, ſi cum ſequentibus conferatur.

CCLXV. VIII. D. 6.

267 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 116. f. currente calamo per duas columnas exaratus et olim *Fratris* cujusdam *Marckwardi* continet *Gregorii M. Homilias XL. in Evangelia*, quae extant edit. *Maur. T. I. Pariſ.* 1705. p. 1434. in quas ſequentia obſervo. Praeit Epiſtola, *Reverendiſſimo et ſanctiſſimo fratri Secundino* (Tauromenitano Sicil.) *Coepiſcopo Gregorius ſeruus ſeruorum dei. Inter ſacra miſſarum ſolempnia* &c. ut in edit. Accedit ſequens Nota: *Beatus Gregorius ſtaciones per baſilicas uel beatorum martyrum cymiteria per que hactenus plebs romana quaſi eo viuente certatim diſcurrit, ſollicitus ordinauit, per quas et ipſe ſimiliter diſcurrens, dum adhuc loqui ualeret, XX omelias ewangelij coram eccleſia diuerſo tempore declamauit, reliquas vero eiusdem numeri dictauit quidem ſed laceſſcente ſtomacho langwore continuo, alijs pronuncianda commiſit.* Sequitur *Homilia*, cujus Autorem non facile nominarim. Initium ejus eſt: *Omnis ſancti Ewangelii fratres kariſſimi textus usque ad iota unum uel unum apicem miſtico eſt inuolutus enigmate* &c. *Gregorii* non eſſe, uel *Nota* praecedens evincit, quae *Homilias* numerat, ut in editis, *quadraginta*, cum tamen haec *quadrageſima prima* ſit. Verſatur ea in exponendo Evangelio *Luc.* XIX. *Homo quidam nobilis abiit* &c. et ut alia deſint argumenta, vel ſtilus ipſe *Gregorio* recentiorem Ὁμιλητὴν arguit. Ita paullo poſt principium: *ſpiritus ſancti iuuamine fretus ſagenulam mei ſpiritus auſtralibus nullo modo committere pertimeſco ſpiraculis* &c. Finis: *largiente domino ſuccincte decurſimus.* Ab hac Homilia *Gregorianae* usque ad finem decurrunt, eo ſolum ab impreſſis diſcrimine, quod, et quidem rectius, *Decima octava Decimam nonam* et *Viceſima ſecunda Viceſimam quintam* ſequatur; Finis vero *Undecimae* cum *Duodecimae* initio e *Cod.* deperditus ſit. Lectionis varietas non deeſt. Ita